

INCIPIT JONAS PROPHETA

¹ Et factum est verbum Domini ad Jonam, filium Amathi, dicens: ² Surge, et vade in Niniven, civitatem grandem, et prædica in ea, quia ascendit malitia ejus coram me. ³ Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini, et descendit in Joppen: et invenit navem euntem in Tharsis, et dedit naulum ejus, et descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. ⁴ Dominus autem misit ventum magnum in mare: et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. ⁵ Et timuerunt nautæ, et clamaverunt viri ad deum suum, et miserunt vasa quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis; et Jonas descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi. ⁶ Et accessit ad eum gubernator, et dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, invoca Deum tuum, si forte recognitet Deus de nobis, et non pereamus. ⁷ Et dixit vir ad collegam suum: Venite et mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes, et cecidit sors super Jonam. ⁸ Et dixerunt ad eum: Indica nobis cuius causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua, et quo vadis? vel ex quo populo es tu? ⁹ Et dixit ad eos: Hebræus ego sum, et Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare et aridam. ¹⁰ Et timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? cognoverunt enim viri quod a facie Domini fugeret, quia indicaverat eis. ¹¹ Et dixerunt ad eum: Quid faciemus

tibi, et cessabit mare a nobis? quia mare ibat, et intumescebat. ¹² Et dixit ad eos: Tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare a vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos. ¹³ Et remigabant viri ut revertentur ad aridam, et non valebant, quia mare ibat, et intumescebat super eos. ¹⁴ Et clamaverunt ad Dominum, et dixerunt: Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, et ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti. ¹⁵ Et tulerunt Jonam, et miserunt in mare: et stetit mare a fervore suo. ¹⁶ Et timuerunt viri timore magno Dominum: et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota.

2

¹ Et præparavit Dominus piscem grandem ut deglutiret Jonam: et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus. ² Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, ³ et dixit: [Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me; de ventre inferi clamavi, et exaudisti vocem meam. ⁴ Et projecisti me in profundum in corde maris, et flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt. ⁵ Et ego dixi: Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum; verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. ⁶ Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum. ⁷ Ad extrema montium descendit; terræ vectes concluserunt me in æternum: et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus. ⁸ Cum angustiaretur in me anima mea,

Domini recordatus sum: ut veniat ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum. ⁹ Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquent. ¹⁰ Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.] ¹¹ Et dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam.

3

¹ Et factum est verbum Domini ad Jonam secundo, dicens: ² Surge, et vade in Niniven, civitatem magnam, et prædica in ea prædicationem quam ego loquor ad te. ³ Et surrexit Jonas, et abiit in Niniven juxta verbum Domini: et Ninive erat civitas magna, itinere trium dierum. ⁴ Et coepit Jonas introire in civitatem itinere diei unius: et clamavit, et dixit: Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. ⁵ Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis, a majore usque ad minorem. ⁶ Et pervenit verbum ad regem Ninive: et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere. ⁷ Et clamavit, et dixit in Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens: Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam: nec pascantur, et aquam non bibant. ⁸ Et operiantur saccis homines et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine: et convertatur vir a via sua mala, et ab iniuitate quæ est in manibus eorum. ⁹ Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus? ¹⁰ Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: et misertus

est Deus super malitiam quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.

4

¹ Et afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est: ² et oravit ad Dominum, et dixit: Obscro, Domine, numquid non hoc est verbum meum cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis: scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia. ³ Et nunc, Domine, tolle, quæso, animam meam a me, quia melior est mihi mors quam vita. ⁴ Et dixit Dominus: Putasne bene irasceris tu? ⁵ Et egressus est Jonas de civitate, et sedit contra orientem civitatis: et fecit sibimet umbraculum ibi, et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati. ⁶ Et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, et protegeret eum (laboraverat enim): et lætatus est Jonas super hedera lætitia magna. ⁷ Et paravit Deus vermen ascensu diluculi in crastinum: et percussit hederam, et exaruit. ⁸ Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti: et percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat: et petivit animæ suæ ut moreretur, et dixit: Melius est mihi mori quam vivere. ⁹ Et dixit Dominus ad Jonam: Putasne bene irasceris tu super hedera? Et dixit: Bene irascor ego usque ad mortem. ¹⁰ Et dixit Dominus: Tu doles super hederam in qua non laborasti, neque fecisti ut cresceret; quæ sub una nocte nata est, et sub una nocte periit: ¹¹ et ego non parcam Ninive,

JONAS PROPHETA 4:11

v

JONAS PROPHETA 4:11

civitati magnæ, in qua sunt plus quam centum
viginti millia hominum qui nesciunt quid sit inter
dexteram et sinistram suam, et jumenta multa?

**Bibbia Vulgata Clementina na 1598
Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria
Migne edition 1880 in Latin**

Public Domain

Language: Latine (Latin)

Translation by: Jerome

2014-08-23

PDF generated using Haiola and XeLaTeX on 11 Nov 2022 from source files
dated 9 Oct 2020
7ca33455-379f-554d-a635-9009adbd90c5